DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

AMENORRHOEA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

AMENORRHOEA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS PATTULLO,
SCOTO-BRITANNUS:

Ad diem 12. Septembris, horâ locoque solitis.

"*Siderum regina bicornis, audi,*
"*Luna, puellas.*" HOR.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1801.

AMICO SUO,

CONJUNCTISSIMO, VEREQUE BENEVOLO,

ANDREÆ DUNCAN JUN. M. D.

OB INNUMERA, AB ILLO ACCEPTA,

BENEFICIA,

MEMORIA NUNQUAM EXCISURA;

HOC

ANIMI GRATISSIMI

PERTENUE QUAMVIS TESTIMONIUM

VOLUIT

AUCTOR.

" *Quâ potes, excusa; nec amici, desere causam:*
" *Quo bene cœpisti; sic pede semper eas.*"

OVID.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

AMENORRHOEA.

MENSTRUALIS per uterum evacuatio sexui sequiori naturâ sub pubertatem accidit: nisi viri consuetudine utentibus, certo tempore revertitur; et postquam triginta circiter annos, his regionibus, viguit, tandem fluere cessat. Cùm aut non satis maturè proveniat, aut ante tempus, citra graviditatem, vel lactationem supprimatur, id præter naturam est, et multimodis ferè nocet. Ex corporis vitiis hinc

oriundis Amenorrhœa, morborum genus componitur. Hoc apud Cullen, in ſpecies imprimis duas, his verbis definitas, diſpertitur:

"1. Amenorrh. Emansionis in puberibus, quibus poſt fluxûs tempus ſolitum menſes non jam prodierint, et cùm ſimul variæ affectiones morbidæ adſint.

"2. Amenorrh. Suppressionis in adultis, quibus menſes quæ jam fluere ſolebant ſuppreſſæ ſunt."

De ſpecie altera ſola ſeorſim agere decrevi.

DE AMENORRHOEA SUPPRESSIONIS.

Mensium ſuppreſſio, prout ex cauſis uterum ipſum afficientibus provenerit, vel morbi alicujus ſignum fuerit ſubſecuta, in *Idiopathicam* et *Symptomaticam* diſtingui poteſt. Neque enim difficile foret oſtendere talem diſtinctionem in hoc morbo haud inutilem eſſe, neque utramque ejus formam notatu indignam.

dignam. Organa enim inter omnia, quæ ad œconomiam muliebrem pertinent, haud ventriculo etiam excepto, uterus forſan locum præcipuum occupat. Inter hunc aliasque corporis functiones primarias, nexus adeò perſpicuus et intimus eſt, ut, quanta vi uniuſcujuſvis perturbatio aliarum conditionem neceſſariò afficiat, hîc ſupervacaneum ſit indicare. Quòd ſi liquet, utero ſe malè habente, cæteras univerſi corporis functiones vitii ejus, haud ita multò pòſt, participes eſſe futuros; ſequitur, quodvis vitium uteri, in corpus, aliarum pluris minorisve momenti functionum depravatione, jam debilitatum, mancum atque exhauſtum, majore adhuc vi eſſe actuṙum. Ex quo ſcire licet, menſium ſuppreſſionem minimè unquam negligendam, etiamſi effectus ſolummodo aliûs morbi videatur; ut præſertim in primo ſtadio phthiſis pulmonalis, quod ſemper ferè comitatur, clarè patet. Tunc enim ſanguinis curſum ad pulmones vehementius derivando, actionem vitioſam

tiofam ibi jam inftitutam, pertinaciorem, amotuque difficiliorem, efficit.

CAUSA PRÆDISPONENS.

DIVERSAS omnes corporis conditiones, quibufcunque connexa menfium fuppreffio nonnunquam prodeat, et per quas ejus figna variè mutentur, hoc loci defcribere, futile quidem foret. Hîc igitur propofitum eft præcipuam illam, corporis conftitutionem notare, quæ morbi hujufce tentationi primariæ maxime faveat. Scire autem licet, fæpius graviùsque hoc malo tentari juniores quàm ætate provectiores, virgines quàm nuptas, vegetas et fanguine plenas quàm infirmas et leucophlegmaticas. Sic nemini ferè medicorum ignotum eft, mulieres et animi et corporis indole virili potius præditas, ideòque *viragines* nuncupatas, huic morbo præ aliis obnoxias effe. Habitus corporis plus æquo irritabilis,

huic

huic morbo, utì nobis videtur, maxime proclivis eſt; ideòque præ aliis cœlibes eo laborant. Inter cauſas quæ irritabilitati favent, et corpus, huic morbo jam proclive, opportunius reddunt, ſunt habenda animi frequens motus, exercitium immodicum, intemperantia, hisque ſimilia.

EFFECTUS MORBI.

Mira quidem eſt ſymptomatum copia, quæ menſium ſuppreſſioni (morbo, per ſe, ſigna ſatis peculiaria habenti) ſubinde falsò tributa ſunt. Si auctoribus enimvero credendum ſit, vitia ferè nulla ſunt, utcunque naturâ diverſa, quæ ex hoc unico fonte non interdum provenire poſſint. Hoc autem partim à nimia auctorum vana cura et ſedulitate profectum videtur; à mulieribus tamen ipſis originem præcipue ducit. Quippe quæ menſtruationem ſibi fontem eſſe malorum (à quibus

bus immunes ſunt viri) proprium atque copioſum exiſtimantes, ſtatum quemvis illius functionis irregularem quàm maximè timent. Et, ſi quando fluxus debitus ſubſtiterit, omnes qualeſcunque fuerint affectiones morbidæ, quæ hujus defectum comitari contingant, huic, ut unicæ et primariæ cauſæ, ſtatim referuntur. Ita ut morbi complures, (quorum unus vel alter reverà ipſius ſit cauſa, vel ſaltem unius et ejuſdem cauſæ effectus), menſium ſuppreſſionis effectus exiſtimati ſunt. Quantùm verò cunque et medici et mulieres his de rebus ſæpius erraverint, hujus vitii ſigna tamen adeò diverſa ſunt, et quòd ad res ſingulas tàm variè mutantur, ut toto de morbo jure dici poteſt, quod de una tantùm ejus ſymptomatum ſerie ſtatuit præclarus Sydenham: "Neque tantùm multifaria ſunt illa, (inquit), ſed nec regula aliqua aut typo uniformi ſe contineri patiuntur, quod in aliis hominum affectibus tamen uſu venit: ſed quaſi farrago ſunt quædam phænomenôn incompoſita

compoſita atque inordinata ; unde perarduum ſit hujus morbi hiſtoriam deſcribere *." Quamobrem hæc omnia ſub capita quædam generalia redigere conatus ſum. Diſpoſitionem ſequentem igitur adhibere conſtituimus ; et quòd ſupervacaneum reddat argumentum diſtinctum de ratione ſymptomatum, et, quantùm fieri poteſt, ex ipſius naturæ ordine hæc exhibeat.

Effectus mensium suppressionis, me judice, aptè diſponi poſſint, prout exortum ſuum duxerint,—

1. Ex impatientia quadam ſingulari naturæ, quâ cujuſvis excretionis ſolitæ ſuppreſſionem ægrè ferre videatur.

2. Ex uteri, toto cum corpore, et cum quibuſdam ejus organis, ſympathia peculiari.

3. Ex harum generis nervoſi legum efficacia, quibus corporis functiones conſuetæ et periodicæ ordinantur.

Ejuſmodi

* Oper. Univerſ. p. 394. Diſſ. Epiſt.

Ejuſmodi quidem primarii ſunt hujus morbi effectus, ut impatientiæ cuidam naturæ excretionem ſolitam intermiſſam ægrè ferentis, aptè referri poſſint. Si quâ cauſâ menſium inſtans fluxus, ſubitò præter modum ſubſtiterit, totum exinde corpus, illico ferè, conflictatur; et pyrexia plùs minùsve gravis concitatur. Nonnunquam hæc mera febricula eſt; nonnunquam (nimiâ plenitudine, vel diatheſi inflammatoriâ), ad ſynocham acerrimam aſſurgit. Quæ ſanguinis abnormis curſus, præſertim autem capiti pulmonibusque iniquè directi, ſint indicia, hanc ferè comitantur. Tum autem inſignis dolor capitis invadit, magisque anteriorem ejus partem circa radices oculorum infeſtans. Tota facies, oculique potiſſimùm, malæque, ardore multo rubeſcunt. Arteriæ in temporibus vehementer agitantur, et tinniunt multùm aures. Vertigo conſtanter ferè urget, vel ſaltem, motu leviſſimo, ſubeſt. Tum etiam pulſus validus et plenus, et frequens, et velox eſt;

totum

totum denique corpus ſegneſcit, et "miſera mulier, ſolicitaque, ex animo eſt cruciatque." Ad hæc nonnunquam vigilia pertinax accedit; at inexpugnabilis interdum occupat dormiendi neceſſitas. Plerumque verò urget ſpirandi maxima difficultas, præcordiaque anxietate revelluntur. Incipit affici ventriculus, doloreque et nauſeà et vomitu ſolicitari, cibique cupiditas perit. Semper autem, ab initio uſque ferè, dorſi et lumborum aliquis dolor, gravitatis æſtûſque moleſtiſſimi ſenſus fatigant. Hi dolores nonnunquam immaniſſimi premunt, abdomen femoraque parturientibus ſimiles percurrentes: Atque a partium utero vicinarum vaſis, fluido, jam non, ut decet, ab illo excreto, præter ſolitum diſtentis, proveniunt.

Nonnullis quidem exemplis ita vehementer enormiterque diſtribuitur ſanguis, ut inflammationes quarundam partium nunc induci videantur. Sub quo caſu, phrenitis, delirio ferociſſimo (maniam ſimulante) comitata,

ophthalmia, mammarum inflammatio et abſceſſus, angina, et, ſi qua ſcriptoribus fides, etiam pneumonia, interdum moventur. Recordandum tamen eſt, affectiones haſce violentiores, ab eadem cauſa, ac menſium ipſa ſuppreſſio, ut frigore, originem nonnunquam ducere poſſe.

Quod ad hæmorrhagias vicarias verò pertinet, huic morbo familiariſſimas, experientia docet, hujuſmodi effuſiones, hac morbi periodo, ſeſe nunquam proferre: hæmoptyſi tamen exceptâ, quæ propter ſanguinem tunc temporis ad pulmones vehementiùs repulſum, favente etiam ætate, vel vitio congenito, haud raró occurrit.

Signa quæ argumento noſtro ſecundo referenda ſunt, *ſympathiæ* ſcil. *inter totum ferè corpus et uterum peculiari*, hæc priora brevi conſequuntur, ſæpe ab initio comitantur. Sic, urina penitùs ſuppreſſa, dolores colici vehementes, et alvus pertinaciter aſtricta, menſium ſuppreſſioni communiter ſuccedentia,

præclara

præclara ſunt exempla ſympathiæ proximitatis. Haud enim dubiè proveniunt a ſpaſmo vaſorum uteri, dehinc cum fibris muſcularibus veſicæ ſphincteris, partisque tubi inteſtinalis inferioris communicato. Vomitiones immaniores, ventriculique ſpaſmi horrendi, ſæpe nunc etiam inſtantes, a conſenſu inter hunc atque uterum eximio celebrato, procul dubio derivantur. Præter hæc, affectiones variæ ſpaſmodicæ, quibus partes vitales ab utero remotiſſimæ corripiuntur, inter ſeſe plerumque invicem alternantes, eodemque ſine dubio fonte exortæ, magnoperè aſſiduè que ægram vexant. Cor ſæpenumerò violentâ et iteratâ palpitatione contunditur, nonnunquam ſyncope concidit. Pulmones interdum ſpaſmo plectuntur; et inde ægrota, vehementi lateris dolore, pleuriticum æmulante, excruciatur, tuſſique aſſiduâ laceſſitur. Nihil autem e pulmonibus tuſſiendo extunditur. Nec uſpiam, fortaſſe, præſtantius exquiſitiusve *aſthmatis convulſivi* nobis offertur exemplum,

plum, quàm quod a *menſtruis ſuppreſſis* proveniat. "Quandoque hic ſpaſmus in alterutrum ex renibus incurſans atrociſſimus, paroxyſmum nephriticum omninò mentitur. Idque non ſolùm doloris genere locoque quò ſævit; ſed et aſcitis vomitionibus immanioribus: tum etiam nonnunquam ex eo quod dolor per ureterum ductus propagatur." Nonnunquam, exteriorem capitis partem occupat, inter pericranium et cranium, in quadam tantùm particula, quæ tranſverſo pollice contegi poſſit, jugiter defixus. Hic apud auctores eſt *Clavus Hyſtericus;* illis præſertim quæ menſibus laborant infeſtiſſimus. Nonnunquam in unum tantùm alterumve oculum inſidet, dolorem uréntem vix tolerabilem adferens, multâ ſæpe lachrymatione, inflammationis autem externæ nullâ ſpecie comitatum. Denique, omnia ferè per hunc morbum ſymptomata nobis proferuntur, quæ ſub titulo *Adfectionum Hyſtericarum,* tam plenè et ad vivum depixit illuſtriſſimus SYDENHAM:

DENHAM *: "Sed dies me deficeret, si omnia quæ adfectus hystericos gravant, symptomata enumerare velim; tam diversa et ad invicem contraria specie variantia, quam non Proteus lusit unquam, nec coloratus spectatur chamæleon." Dolor enim spasticus non uni inhærescit loco; sed huc illuc per totum corpus vagatur. Monitum hoc solummodo, ab eodem accurato naturæ scrutatore, hic adjicere liceat; ne quòd ad harum affectionum naturam decipiatur quandoque medicus. "Quamcunque enim," ait, "corporis partem (hic dolor spasticus) insederit, symptomata qualia ei competunt parti, statim producit: et nisi medicus tam sagaci quadam solertia et δεινοτητι, quàm in arte peritia valet, fraus ei fiet, atque ista symptomata a morbo aliquo essentiali hujus vel aliûs partis, non ab adfectione hysterica, pendere arbitrabitur †."

Si

* Oper. Univers. Diss. Epist.

† Ubi supra, p. 388.

Si quando plurima hujuſcemodi ſignorum ſimul et vehementer præter ſolitum urgerint, diatheſeos cujuſdam ſpaſticæ, toto ferè cum corpore ab utero communicatæ, quemadmodum indicia haberi poſſunt. Quum, ut haud rarò accidit, ad perfectum et exquiſitum Hyſteriæ vel epilepſiæ paroxyſmum exſurgerint, inde videre eſt, quàm facilè promptéque univerſum genus nervoſum in uteri cujuſvis momenti vitii ſocietatem trahatur; quàm gravè mirisque in modis inde convellatur.

Hæc ſigna violentiora, febrilia nempe, inflammatoria et ſpaſmodica, nunquam ferè niſi ſub impetu ipſo ſuppreſſionis emicant. Aliquando quidem, fluxu naturali nondum reſtituto, periodis proximè ſequentibus, gradu levi, levioreque morbi progreſſu, revertunt. Dum adſunt verò, quod Amenorrhœæ ſuppreſſionis *primum ſtadium* rectè nuncupari poteſt, conſtituunt. Plerumque autem ſpatio minimè longo prorſùs evaneſcunt; effectuumque ſeriei, a prioribus quàm longè diſtantium, gradatim

cedunt.

cedunt. Signa quæ hoc *morbi ſtadium provectius* comitantur, ſunt qualia totius corporis, uterique præcipue, atoniam planè indicant; et coúſque iis Chloroſin ſtipantibus accedunt.

"Quidem enimvero," (verbis utor celeberr. BOERHAAVE), procedente hoc morbo, "functiones omnes ferè naturales, vitales, animales, depravari veniunt *." Præ aliis autem offenditur ventriculi functio; nec ratio latet; variaque a dyſpepſia provenientia graviſſima et multiplicia mala oriuntur. Deficit nutritio, ſecretiones omnes, excretionesque. Abſorptionis defectu, ſimulque viribus circuitûs admodum langueſcentibus, toto corpore laxato, humoribus diſſolutis, proclivitas ad leucophlegmatiam univerſam invadit. Denique, ingraveſcente morbo, corpus totum ſubtumidum, laxum, molle, grave, ſegneque evadit. Vividi coloris gratia caret, virore quodam albicans: et ipſum adeò impotens

ſit,

* Aphor. 1285.

ſit, ut crura etiam interdum eundo vacillent. Spiritus fit debilis et rara; vitiatur quàm maximè cibi concoctio, alimentoque quod aſſumitur intus vix aut ne vix quidem alitur corpus; et miſera toto corpore mole languoris aquoſi ruit, vel febre lentâ oriente, conſumitur.

In explicando autem quo in modo tanta totius corporis imbecillitas, creſcente hoc morbo, naſcatur, haud minimè inter auctores diſſenſum eſt. Qui verò fluxum ipſum menſtruum a plethora nimia vaſculari deducunt, hoc etiam conſilio, notione nimirùm plethoræ, menſibus ſuppreſſis, eoúſque inſurgentis ut ſolidum vivum quaſi ſuffocet, omnes ferè corporis functiones jam læſas, ſibi ſatis explicatas habere ſolent*.

Multa tamen mihi ſuadent argumenta, nimiam humorum accumulationem, retentis quæ

* BOERHAAVE, Aphor. 1285, 1287. STOLL, Præl. in Morb. Chron. tom. ii. p. 378. SCARDONA, Aph. de Cog. et Cur. Morb. lib. iv. 181.

quæ per uterum fluere debent, vix unquam malorum causam existimari posse, quæ mensium suppressione diu laborantes lacessunt. Primùm enim humoris menstrui copia, naturaliter uncias perpaucas nunquam excedens, minimè tanta est, quæ retenta vel plenitudinem vascularem inducat, vel ejecta hanc præcavere aut amovere queat. Porrò, symptomata quæ mensium suppressionem vel recentem vel veterem comitantur, indicia plethoræ universalis prorsùs dubia sunt. Sæpissime enim per paucos tantùm dies, hæc urgentissima adsunt, gradatimque medio inter periodos tempore, levantur et minuuntur. Nec rarò, nullis adhibitis remediis, fluxu nullo redeunte, sponte suâ etiam penitùs tolluntur.

Præterea, si plethora sola extiterat causa, oportet sanguinis detractio, aliaque remedia, quæ sanguinis minuendo copiam, plethoram debellant, mala etiam a mensium defectu exorientia fugarent; quàm longè autem aliter res se habet, est omnibus bene notum.

Me quidem judice, ſigna infirmitatis generalis menſibus ſuppreſſis ſuccedentia, explicationem multò faciliorem, ſemotâque omni theoriâ, admittunt. A vitio enim uteri, per conſenſum nervoſum, primùm ventriculum et dein totum corpus turbante, facilè deduci poſſunt. Huic ſententiæ porrò arrident hæc verba celéberri. CULLEN: "Analogous to what happens in the male ſex, it may be preſumed that in females a certain ſtate of the genitals is neceſſary to give tone and tenſion to the whole ſyſtem; and, therefore, that if the ſtimulus ariſing from the genitals be wanting, the whole ſyſtem may fall into a torpid and flaccid ſtate *."

Hactenus effectus ſolùm exploravimus, qui ab organi toto cum corpore atque uteri tam intime connexi turbatione oriuntur. Nunc illorum conſiderationi accingendum eſt, qui ab excretione per uterum, (quæ ex periodicis, una inter maximè inſignes eſt), jam ſuppreſſa proveniunt.

* "Firſt Lines," vol. iii. p. 43.

proveniunt. Phyſiologiæ notis legibus parùm certè conveniret exiſtimare, quòd propter uteri ſolam functionem turbatam, vis naturæ medicatrix activa, potiùs

"——— ſinat his violentis omnia verti
"Turbinibus, ſinat incertis turbari procellis;"

LUCRET.

quàm ut conamina varia ad redintegrandum ſanum ſtatum effecerit. Profectò, harum generis nervoſi legum, quibus corporis functiones periodicæ et conſuetæ ordinantur, obſervatio nunquam nobis conſtantior apparet; quàm in variis conatibus, qui ſtrenuiſſimi ad fluxum menſtruum jam ſuppreſſum reſtituendum, tam mira cum conſtantia, certo tempore repetuntur.

Hæc Menſium Molimina ſic dicta, ex his præcipue ſymptomatis majore impetu nunc ingrueſcentibus, quæ humorum ad uterum fluxus auctioris indicia ſunt, propriè conſtant. Nonnunquam per ſe, multò autem certiùs, ſi arte bene illis ſuccurſum fuerit, eventum

tum optatum feliciter præſtabunt; frequentiùs verò, ſucceſſus nihil omnino eſt, et inde inani certamine, perinde ac primo ſub impetu morbi, totum corpus valdè commovetur et gravatur, atque genus nervoſum etiam vehementiùs convellitur. Pyrexia per intervallum plerumque deferveſcens, acceſſis rigore, horrore, vertigine, et capitis et colli doloribus acerbiſſimis, jam iterum accenditur. Adfectiones variæ anomalæ nervoſæ, palpitatio, ſyncope, dyſpnœa, tuſſis, ventriculi ſpaſmi et vomitiones, ſignaque omnia ſimilia, uſque ad ipſum hyſteriæ paroxyſmum, nunc valdè exaſperantur, vel nunc primùm apparent. Hæc ſigna, quæ quamvis compluribus poſt ſuppreſſionem primam inſequentibus periodis, regulariter admodum iterantur; morbi progreſſu tamen, vehementiæ ſuæ multùm amittunt; et atoniâ generali magnoperè citòque ingraveſcente, tandem ferè quieſcunt. Tum demum, Natura, quaſi ſibi conſcia quàm minimè ad fluxum loco proprio reſtaurandum ſui nixus

ſtrenuiſſimi

ſtrenuiſſimi nunc valeant; conſilioque nimirùm, ut viam, cùm non invenerit, faceret; aliorſum impetum ſuum dirigit. Hinc exoriuntur profluvia illa ſingularia, menſium fluxûs quod ad tempus vicaria: Phenomenôn ſeries, quæ attentionem peculiarem jure ſibi vindicant; cùm quòd virium naturæ efficaciam, qua perfecta ſunt, valdè mirabilem evincunt; tum quòd in partium ſelectione tam rara et inuſitata, quibus profluant, inconſtanter adeò ac leviter ſe gerunt. Si omnium quidem diverſarum partium, e quibus, his occaſionibus, profluvium quandoque emanâſſe fertur, exempla ſpecialia recenſerem, pagina in immenſum creſceret; nec operæ quidem pretium facerem. Ad propoſitum noſtrum ſat erit hîc loci notare, quod per omnes ferè corporis partes, "per oculos, aures, nares, gingivas, vias ſalivæ, œſophagum, alvum, veſicam, mammas, cutem,—vulnera, ulcera, exire viderint medici *."

Quòd

* Boerhaave, Aphor. 1286.

Quòd ad harum effusionum naturam rationemque attinet, opinionum quàm maxima diversitas, usque adhuc apud auctores obtinet. Alii, nimirùm, qui fluxum ipsum menstruum plethoræ generali tribuunt, hæcce etiam phenomena hoc principio explicant: eorumque sententiâ, evacuatio vicaria, perinde ac ipsa naturalis, naturæ conamina sapientis censenda sunt, quo nimia sanguinis se sublevaret copia; vel, aliis verbis, *hæmorrhagias activas* esse arbitrantur. Sub hoc vexillo militant omnes plenitudinis theoriæ fautores; nec non recentiorum complures doctrinæ plethoræ topicæ addicti. Accipe de his rebus clarissimi Gaubii verba: "Quæ suppressa menstrua quandoque consequi, horumque vicaria esse solet, errans sanguinis per aliena loca evacuatio, ex perversa motûs humorum directione, ac incongrua resistentiarum ratione, nascitur *."

Alii

* Institut. Patholog. Medic. p. 455. sect. 826. 8vo. Lugd. Bat. 1758.

Alii verò, notione plethoræ ſummô jure ſemotâ, ex debilitate ſumma generali, partiumque quibus irruant laxitate, haſce effuſiones repetiverunt, cenſentque hæmorrhagias eſſe omnino *paſſivas*. Sententia hæc poſterior obſervationi quidem inſiſtit quæ experientiâ æquâ deducitur; quæque per ſe priorem penitùs evertere valet. Hæmorrhagiæ enim illæ vicariæ, non in ſuppreſſione recenti, cùm plethora quàm plurimùm valere debet, ſed ſemper ferè cùm morbus longiùs duraverit, emicant. Huic autem ipſi debilitatis notioni e contrà objicitur, hæc profluvia non niſi admodum rarò, (nunquam, propè dixerim), in Amenorrhœa Emanſionis obtinere; etiamſi corporis univerſi atonia, et cujuſvis ferè functionis infirmitas, in extremum tum abierit. Præterea, ſi a *debilitate* ſolummodo penderent, cur non ex vaſis laxioribus ac debilioribus? Si a *plethora*, cur non ex *pulmonibus*, ſeu naribus, ſeu aliis partibus, quibus ex notis phyſiologiæ legibus ſanguinis nimia copia effluxiſſet,

fluxiſſet, viam ſibi ſemper non faciunt? Quàm longè verò aliter res evenit, teſtis eſt omnium experientia. Quoniam igitur partium electus ſingularis, quibus nonnunquam ſeſe expromat ſanguis, nec *plethoræ* legibus, nec *atoniæ* conveniat, longè aliam ſibi vindicare explicationem ſatis patet. Hæc, ni fallor, a vaſorum actione peculiari in parte, quâ proruat humor, excitata, ritè quærenda eſt *. Verùm, ad naturam hujus actionis illuſtrandam, quæque, ut, certo tempore et locis, aſſumpta fuerit, efficiant, quò clarius intelligamus; priùs opus erit, de ipſius uteri functionis indole, pauca dicere.

Hoc argumentum fuſiùs tractare, vel de menſium variis, a primis ſæculis hucúſque, prolatis *theoriis*, vanam inire diſputationem, nequaquam fert animus. Via hæcce jam nimis trita eſt. Neque tandem hoc ultra progreſſum, quam ut omnes certiores fiamus, *theoriam*

* Quod hac de re putabat illuſt. CULLEN, videre eſt, "First Lines," vol. iii. p. 63.

theoriam nullam hactenus prolatam, quæ proposito consilio vel prorsus satisfecerit. Missis, igitur, cunctis vanis ac inutilibus his de rebus disceptationibus, hic nobis conciliâsse sat erit, actionem esse quandam propriam ac peculiarem a vi cordis haud omnino pendentem, ab ipsius uteri vasis, quo tempore ex iis humor menstruus eliminatur, exercendam.

Talem vim propriam his in vasis insitam esse, jam olim agnoscebat VAN SWIETEN. Profectò, nisi hac actione, cujusmodi sit, iis propria et peculiari, concessâ, excretionem per uterum periodicè expletam, rectè explicandam negabat. Nec minùs cedunt verò, sustinentque, plethoræ topicæ vindicatores.

Quòd ad hujus actionis naturam, et etiam ejectæ materiæ dotes, physiologorum opiniones adhuc variæ et discrepantes sunt: quippe quorum alii merum sanguinem, molimine vasorum uterinorum hæmorrhagico, profundi; alii eorundem excretum peculiare, de-

mitti putant. Quum autem periodica hæc uteri vaſorum actio, pro certo valuerit, ad ſanguinis vires ac dotes communes mutandas *; quid, tandem, obſtat quin illi ab ullo alio corporis organo ſecretorio exercitatæ omnimodo ſimilis putetur?

"Circa periodici autem hujus decursûs rationem," ait phyſiologus inclytus cui quidem omnino aſſentior, "ignorantiam fateri, quàm vanis hypotheſibus inhiare præſtabit: Cùm hactenus omnia ea periodica phænomena, tam ſano quàm ægroto animanti contingentia, quorum termini ultra nycthemerum proroгantur, ad naturæ animalis myſteria referenda videantur †." Quòd verò cauſam proximam exortûs hujus menſtruæ uteri arteriarum ‡ actionis, ut opinor, periodicæ cuidam

* HUNTER, "On the Blood," &c. 4to. p. 26 & 27.

† BLUMENBACH. Inſt. Phyſiol. ſect. 42.

‡ Compertum enim habeo, humorem menſtruum ex arteriis effundi, quòd et ratio et obſervatio ſuadent. Vid.

cuidam ovariorum conditioni, consensuque illinc uteri vasis communicatæ, minimè tribui potest *. Qui fit enim, obsecro, ut humor hic menstruus, vià loco proprio negatà, alias sibi varias adeò et mirabiles vias comparet, usurpet, iisdemque tam mira cum constantia periodicè versetur? Nemo certè affirmaret, nexum quemvis interesse posse inter statum ovariorum peculiarem, humorisque sanguinei ex minimi digiti apice vel dentis alveolo fluxum. Nec memorià excidit exemplum illud singulare et unicum, a chirurgo celeberr. Londinensi, Percival Pott, haud multis abhinc annis, vulgatum. Cujus quidem testimonio liquet, mulierem ex tempore quo excisa fuissent ovaria, a purgatione menstrua defectam fuisse; dum illa simul ad habitum virilem magis magisque indies accederet, uterumque non rursus gestura. Exinde autem, quo pacto confici,

Vid. J. C. Maclaurin, Diss. inaug. de flux. mens. indole causisque, Edinburgi, 1788, p. 43. Vid etiam Cruikshank "on the Absorbent System," p. 54.

* Vid. Cullen, ubi suprà.

confici, (ut ne dicam probari), potuit, certum ovariorum ſtatum ad uteri vaſorum actionem propriam excitandam, *rectà et immediatè* conferre, mihi quidem nunquam conſtabat. Enimvero hæc conſtant: ovaria ex mulieris parte munere in generatione præſtantiſſimo, conceptuique prorſùs neceſſario, fungi; iſtam etiam menſtruam uteri actionem, eandem in rem, modò quamvis inferiori, haud parùm contribuere. Ovariis autem, (generationis organis quaſi primariis habitis), exciſis, haud mirandum eſt fluxum menſtruum ceſſare, qui, niſi illis adjuvantibus, nihil omnino proficeret: eòque potiùs ita ſentio, quòd hic mulierum fluor menſtruus, niſi ſi generis nervoſi legibus pareat, penitùs inexplicabilis foret, quum, quavis ex alia corporis parte quàm utero, viam ſibi aperuerit. Adeò autem conſtans eſt harum legum efficacia, ut, ſi qua corporis animalis actio, loco proprio fuerit ſuppreſſa, vix dubitandum eſt, quin in alia quadam corporis partè, citiùs ſeriùsve

excitetur

excitetur ſimilis. Breviter, "Eadem illa cauſa," ut olim meminit VAN SWIETEN, "quæ vaſa uterina aperit, quam me ignorare lubens fateor, ſi applicetur aliis corporis vaſis, idem facere poterit*."

Opinio inſuper firmatur, analogià aliarum corporis actionum ſeu naturalium, ſeu morbidarum inter ſeſe quod ad ſitum alternantium. Sic exhalatio per cutem, per pulmones, excretio per alvum, per veſicam, nonnunquam ſeſe invicem excipiunt. Sic etiam ſingularis illa et ſui generis actio, a conſuetudine impura ſub blenorrhagiæ ſpecie, excitata, ſi, frigore externè admoto, remediiſve impropriis, loco proprio repreſſa fuerit, in alias corporis partes plùs minùs remotiores, magnoque cum earum diſcrimine, haud raró iniquiſſimè incidit. Porrò, ſi res ita ſe habet, ſi profluvia hæc vicaria, ab actione vaſis uteri ritè fungenda, dehinc in alias corporis partes quaſi tranſlata, reverà pendeant; a priori prædicaveris

* Comment. ad Aphor. 1286.

dicaveris hanc, iis in locis cum utero maximè consentientibus, promptissimè assumpturam esse; ideòque ad ventriculum, intestina, mammasque; quod reverà sic accidit. Sin autem hæc se optimè habeant in partibus tunc temporis irritabilitate morbosa gaudentibus; et hinc sæpissime his occasionibus proruit humor ex ulceribus, vulneribus, &c.

DIAGNOSIS.

Hujus morbi adeò simplex et aperta est diagnosis, ut nihil magis exoptandum, quàm ut omnes quibus in praxi occurrendum est morbi, æquè facilè dignosci queant. A medico veruntamen videndum est, utrùm mensium suppressio, si qua observatur, reverà morbosa sit; an illa tantùm naturalis mensium absentia, quæ in non-puberibus, quinquagenariis, in gravidis, et lactantibus, occurrit. Amenorrhœam, enimvero, morbosam ab illa

illa quæ uteri geſtationem plerumque comitatur, diſtinguere, haud rarò difficile imprimis eſt. Prægnantium, quidem, incommoda menſium ſuppreſſionis ſigna, primò adeò ſimulant, ut, quàm tres quatuorve menſes fuerint elapſi, vix ante clara fiet diagnoſis. Tum, ſi mulier uterum gerit, mitiora fiunt omnia ſymptomata, et demum omnino diſcedunt. Inter hæc etiam abdominis tumor apparet, fœtus moveri incipit, uterique oris tactu exploratio, dubium omnino e medio tollit. Sin autem ſymptomata a menſium ſuppreſſione profecta fuerint, impregnationis notæ non modo nullæ non adſunt, ſed priora inſuper omnia graveſcunt. Scire inſuper juvabit, ſigna morboſa, a menſibus, aliâ causâ quàm graviditate, ſuppreſſis, per morbi decurſum, remittere et periodicè reverti conſueſcere.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Mensium ſuppreſſionem in *idiopathicam* et *ſymptomaticam*, jam ſuprà diviſimus: nunc utriuſque varias cauſas ad enarrandas accingamus.

Prioris *cauſæ*, quæ vaſorum uterinorum actionem propriam impediendo, menſes ſubitò ſiſtunt, præcipuæ ſunt,—frigus, quoquo módo corpori allatum,—vehementiores animi concitationes. Singularum modum agendi, fuſiùs paulò nunc illuſtrare conemur.

Nemini medicorum ignotum eſt, *frigus* variis corporis partibus, præſertim pedibus, menſtruis fluentibus, admotum, frequentiſſimam horum ſupprimendi cauſam eſſe. Quomódo corporis refrigeratio, et hunc, contrariumque prorſùs effectum producere poſſit, explanatu ſemper difficillimum fuit. Quotidianâ enim

docemur

docemur experientiâ, menſium fluxum eâdem ex cauſa non ſæpius ſuppreſſum aut planè imminutum eſſe, quàm nimium aut immodicum profundi. Breviter hanc quæſtionem attingamus.

Frigus externum corpori (præſertim calenti) ſubitò admotum, vaſa cutanea primùm leviter irritat; et ſi ſatis intenſum fuerit, eadem fortiter aſtringit, totum genus nervoſum excitat, et proclivitatem ad motus abnormes inducit. Hæc conſtrictio ſuperficiei ita inducta, vel humorum externa verſus liberum circuitum prohibendo, ſanguinis undam præ ſe intus gradatim repellit; vel inter varias corporis partes remotiſſimas conſenſu; præcipuè autem inter partes quaſdam (e. g. uterum atque ventriculum) internas, vaſaque cutanea notabili, ab his ad illas citiſſimè tranſfertur: ideòque frigus externum profluvium ſanguinis modò excitat; modò fluxum prohibet. Et, ni fallor, duplex in uteri fluxum frigoris effectus a ſtimuli gradu, corporiſque

conditione varia, deducendus eſt. Res enim ſi ita ſe habet, conſtrictione ſuperficiei, in fœmina habitu corporis plethorico et irritabili, inductâ; conditionem vaſorum uteri conſentaneam citò produci, haud mirum videtur. Quà horum actione propriâ præcluſâ, menſes neceſſariò ſupprimuntur. In corpore autem inſolito laxo vel phlegmatico, vaſa cutanea, et conſenſu etiam uterinâ, *frigore* ut ſtimulo leni potiùsve incitamento tantùm, afficiuntur; ex quo, horum actione excretoria provocatâ et adauctâ, fluxus nimius producitur; vel ſi magnoperè langueſcit ſympathia nervoſa, corporisque refrigeratio longiùs duraverit, ſanguis propter conſtrictionem cutaneam introrſum repúlſus, per vaſa interna laxiora (ut uterina), quà facillima datur porta, ruet. Et hàc etiam ratione nonnunquam accidit *menorrhagia*.

Hi effectus, cæteris paribus, a potione frigidula in ventriculum recepta, celeriùs promptiùsque occurrunt; ob eximium, nimirùm,

rùm, consensum inter hoc organum et uterum. —Jam satis superque de frigore, prout mensium suppressionis causa. Nunc aliæ nobis sunt considerandæ.

Animi affectús concitantes, veluti gaudium, ira, terror, omniaque impetuosè agentia, genus totum nervosum valdè perturbando, motusque varios abnormes seu spasmos ciendo, secretiones omnes, excretionesque, haud rarò nunc supprimunt, nunc nimios producunt. Hinc si fœminam menstruantem invaserint, ex sympathia nervosa, cujus anteà meminimus, nunc efficacissimâ, uteri functionem nunquam ferè non turbant. Eâdem autem ratione quà frigus, secundum corporis conditionem diversam, et causæ majorem minoremve impetum, effectus omnino contrarios præstabunt. In corpore irritabili et plethorico, hujusmodi motus animi mensium suppressionem producentes, frequentissimi ac potentissimi esse videntur, horror, ira, nuncius acerbus, at præsertim *terror* cum pavore conjunctus.

Ad

Ad CAUSAS MENSIUM SUPPRESSIONIS SYMPTOMATICÆ ſunt referenda, omnia quæ corporis vires deprimunt atque exhauriunt; quæ humores ab utero derivant, vel menſium vias ſolitas obſtruunt.

Ex cauſis, quæ corpus debile et exſangue reddere valent, hæ præcipue ſunt notandæ: Immodica ſanguinis jactura, venæſectione nimis frequenter præter modumque inſtitutâ; hæmorrhagiis gravibus, immo menſium ipſorum nimio fluxu: Aliarum excretionum ſeu ſecretionum exceſſus: Morbi prægreſſi diutini infirmantes: Animi adfectiones variæ, exercitatio nimia, vigiliæ, pathemata deprimentia et durantia, ut mœſtitia, amoris deſperatio, ſollicitudo nimia et cura, omniaque his ſimilia. Omne, præterea, ſordium abdominalium genus, quæ ſtomachum inteſtinaque vel nauſea vel atonia afficiunt, per conſenſum, uteri functionem offendit. Hinc quicquid concoctioni difficilius, id fœminis, menſtruis fluentibus, periculoſum eſt.

Huc

Huc imprimis ſpectant, ſubſtantiæ unguinoſæ, fructus acidi, crudique, necnon piſces quidam.

Ad argumentum ſecundum pertinent, irritationes variæ in aliis corporis partibus inſtitutæ, quæ humores ab utero derivant, actionemque propriam menſtruam excipientes, ejus pene vice funguntur. Sic fœminæ aliis hæmorrhagiis, ut hæmoptoë, epiſtaxi aut hæmorrhoidibus laborantes, a menſium fluxu regulari ſunt ſemper ferè deſtitutæ. Huc etiam referri poſſunt exulceratoriorum effectus, quæ menſtruæ periodi tempore variis corporis partibus admota, fluxum uteri nunquam ferè non ſiſtunt. Nec illud ab HIPPOCRATE, ſimili conſilio dictum, ratione caret: "Mulieri, ſi velis menſtrua cohibere, cucurbitulam quam maximam ad mammas appone *." Neque hoc CELSI: "Quæ nec peperit, neque gravida eſt, ſi lac habet, a menſtruis defecta eſt †."

Vitia

* Aphoriſm, ſect. 5. 50.

† De re medica, lib. ii. cap. 9.

Vitia ipſius uteri topica, quæ vias ſolitas claudendo fluxum menſtruum cohibent, præcipua ſunt, vaginæ coalitio et tumores; ipſius uteri carcinoma, &c., quæ penitùs inſanabilia ſunt, aut chirurgi ſolùm manu debellanda. Ad hoc etiam caput pertinet nimia vaſorum uteri rigiditas, lotionum aſtringentium abuſu contracta.

CAUSA PROXIMA.

Mensium ſuppreſſionis idiopathicæ, pariter ac ſymptomaticæ, cauſa proxima, in actionis vaſorum uteri propriæ et periodicæ defectu, planè ponitur. In initio prioris, ob horum extremitates ſpaſmo pertinaciter obſtrictas; in poſtremo quidem ſtadio, ob eorundem torporem nimium et rigiditatem, hæc deficit.

Eædem verò ſuppreſſionis ſymptomaticæ ſimul cauſæ remotæ, prædiſponentes et excitantes ſunt, ſimùlque próximæ.

PRO-

PROGNOSIS.

In hoc morbo variat prognoſis, ſecundum ætatem, corporis conditionem, tempusque.

1mò, Ab omnibus ferè medicis notatum eſt, mulieres ætate provectiores menſium ſuppreſſionem quàm juniores ſemper meliùs ferre. Nec ratio difficilis eſt, quum in illis *vires corporis conſervatrices* jam langueſcere cœperunt, et natura ad iſtam periodum tunc propiùs acceſſit, ubi e conſilio fluxum ipſum ceſſare vult.

2dò, In prognoſi ſtatuenda, corporis variæ conditiones, conſtitutio, viresque, præcipue ſpectandæ ſunt.

(1.) Quòd ad primum argumentum attinet, ſic ab Hipprocrate fertur: "Quæ fœmina non peperit graviùs et citiùs retentione laborat menſtruorum, quàm ea quæ peperit: in

hac

hac enim venæ magis ad hanc fluxionem patent; in illa minus *."

(2.) Inter omnes ferè constat, mensium suppressionem in fœminis rusticanis, corpore firmiore et densiore præditis, vitaque exercitatiore utentibus, signis multò gravioribus semper comitari, quàm in debilioribus, vel in iis a morbo graviore convalescentibus: nimirum, quòd in illis, ob majorem generis nervosi vigorem et irritabilitatem quibus gaudent, actio et reactio in corpore vividiores sint quàm in his; totumque ex unius partis turbatione faciliùs graviùsque commoveatur, necesse est.

3tiò, Morbi durationem ex ratione duplici considerandam puto. Quò longiùs enim perstiterit suppressio, eò severiùs sæviunt symptomata; eò minùs vires naturæ medicatrices, morbo jam fractæ diutino et consumptæ, ad fluxum reficiendum sunt paratæ. Si morbo, primô stadio, occursum fuerit, dum symptomata,

* Lommii, Obs. Med. lib. ii. p. 245.

ta, ut febricula, affectiones fpafmodicæ leniores, dolores varii, vertigo, cephalalgia, dyfpnœa, et fi quæ his fimilia funt alia, quamvis vehementia, minùs tamen fixa vel conftantia adfunt, eventum fauftiffimum fperare licet. Cùm morbus ad ftadium fecundum progreffus fuerit, et figna graviora et periculofiora, generisque omnino diverfi inftiterint, perdifficile et ferè impoffibile fore fanatu, monendum eft. Tum enim morbi *caufa proxima* prorfùs mutata eft, radicibusque in corpore altiùs infixa jam hæfit. Nunc varia et ipfius uteri et aliorum vifcerum vitia, obftructiones, abfceffus, fchirrus, omniaque ex his pendentia mala, quippe quæ prorfùs infanabilia, curatu faltem difficillima, admodum metuenda funt. Verùm enimverò fi hæmorrhagiæ ex aliis corporis partibus menfium vice fubftitutæ fuerint, eò pejor prognofis; et natura quidem, viæ quam nuper fibi ftravit, affueta, priftinam ratione quadam oblivifcitur, et difficillimè fi unquam

 eam

eam recuperat. Vaſa inſuper uteri, functione ſuâ debitâ ſecretoriâ jamdiu deſueta, magis magisque indies langueſcunt, et in torporem quaſi tandem abſolutè delabuntur.

Scire autem oportet, prognoſin in hoc morbo, quæ quamvis plerumque anceps ſit, ſæpe infauſta, frequenter autem omnia medici præſagia penitùs fefelliſſe: et cum fœmina in eo eſt ut moreretur, menſtruis tunc reducibus, ſubitò et inopinatò ad ſuam priſtinam ſanitatem redeat.

CURATIO.

Ex jam dictis in confeſſo eſt, nullum forſan, ex omnibus quæ mulierum corpora vexare poſſint malis, hoc graviorem eſſe, et, ſi ejus ſolam frequentiam * animadvertamus, notatu digniorem. Summam medici attentionem jure ſibi vindicat, imò flagitat; quantùmque verò

* Inſpice Tabul. Valetudinar. Londinenſ. utì referuntur in "Med. & Phyſ. Journal." "Monthly Mag."

verò poſſit medicina ad ſexûs tenerioris amabilisque miſerias levandas, totis viribus unicuique præſtandum eſt. Sed eheu! quàm incerta et aſpera fata premant! quàm frequenter ſummis medici prudentiſſimi ſolertiſſimique conatibus irrideat hoc malum! Quàm ad menſium ſuppreſſionis curationem aggreſſum ſit, medici prudentis eſt, cautè priùs inquirere, et diſcernere, utrùm reverà morbus primarius ſit illa, nec ne. Ad *ſuppreſſionis idiopathicæ* medelam quòd attinet, quum hæc a cauſis vehementioribus originem ſemper ducit, ſymptomatisque plus minus moleſtis ſtipatur, nunquam in dubio eſſe poteſt, quin illico et quamprimum de fluxu provocando conſulendum eſt. Ad medendi conſilia capienda commoda et honeſta, in animo bene perpendere oportet morbi duo ſtadia eſſe, cauſasque intereſſe quàm maximè diſcrepantes, utrique autem proprias.

Ex

Ex his suprà fusiùs expositis, in sequentes ritè fluere puto indicationes.

1. *Stadio primo:* Uteri vasculorum extremorum constrictionem spasmodicam solvere.

2. *Stadio provectiori:* Uteri vasculorum atoniam, torporem vel rigiditatem amovere; eorumque actionem periodicam excretoriam excitare.

3. *In utroque stadio:* Symptomata quæ maximè urgent, amovere vel sublevare.

Indicationi primæ conveniunt:—

SANGUINIS DETRACTIO.

Generalis.

A brachio.

A pede.

Topica.

Hirud. lab. pudend. applic.

Cucurbit. cruent. femor. intern. impos.

CALORICUM.

CALORICUM.—Formâ,

Vaporum ad verenda adhibit.

Fotûs tepidi regionis hypogaſt.

Pediluvii.

Semicupii.

Balnei tepidi.

ANTISPASMODICA.

Opiata per os anumve recepta.

Aſſafœtida.

Camphora.

Hyoſcyamus.

Valeriana.

Moſchus.

Caſtoreum.

Æther.

Ammonia.

EMETICA.

EXULCERATIO.

ELECTRICITAS?

LAVATIO FRIGIDA?

Indicationi

Indicationi fecundæ refpondent:—

STIMULANTIA.

Topica.

Cathartica acriora.

Aloë.

Colocynthis.

Bryonia.

Jalapa.

Rheum.

Gambogia.

Galbanum.

Sagapenum, &c.

Pilulæ var. gum. compof.

Hydrargyri præparata fortiora purgantia.

Clyfmata terebinth. et aloëtica.

Injectiones per vaginam ftimulantes.

Peffi.

Suppofitoria.

Cantharidum emplaftra facro imp.

Arteriæ,

Arteriæ femoralis compreſſio?

Ictus electricus.

Venus.

Generalia.

Cinchona.

Myrrha.

Quaſſia.

Rheum.

Arnica, &c.—Denique,

Omnia ferè amara, aſtringentia et aromatica.

Ferrum.—Formâ,

Præparat. var. pharmaceut.

Aquar. mineral. chalybeat.

Cuprum.

Lavatio frigida,

Generalis;

Pluvioſa.

Balneum tepidum.

Exercitatio omnimodo uſitata.

Diæta nutriens.

Vinum.

EMMENAGOGA

EMMENAGOGA SPECIFICA.

Sabina.

Aloë.

Melampodium.

Rubia tinctorum.

Myrrha.

Ariſtolochia rotunda.

Artemiſia vulgaris.

Solanum dulcamara.

Achillea millefolium.

Arnica montana.

De more, nunc ſequitur, ut de medicamentis, remediisque ſpecialibus pauca dicam. Cùm attamen de aliis argumenti partibus nimis forſan copioſè jam fuerim locutus, termini tentaminum hujuſcemodi ultrà progredi vetant.

F I N I S.